Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

162

turas etiam si non intelligimus. sed fiat nobis secundum fidem nostram credentibus
quia omnis scriptura diuinitus inspirata est et utilis est. Si ergo
diuinitus inspirata est et utilis est. etiam si non sentiamus subtilitatem cre
dere tamen debemus quia utilis est. Solent medici praebere interdum
cibum aliquem. interdum etiam potum dare. uerbi gratia. ad discutiendam cali
ginem uisus. non tamen in edendo cibo ut in potando sentimus. quia utilis
est et prodest oculis. sed cum transierit dies una et altera et tertia suo
in tempore per occultos quosdam meatus relata ad uisum cibi illius aut
poculi uirtus paulatim purgat aspectum. et tunc demum sentire in
cipimus. quia cibus ille uel potus profuit oculis. sed et in aliis similiter
corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est etiam
de scriptura sancta. quia utilis est animae et prodest etiam si sensus noster
ad praesens intelligentiam non capit. quoniam ut diximus et bonae uirtutes quae
nobis adsunt reficiuntur in his sermonibus et pascuntur. et contrariae
torpescunt his meditationibus et fugantur. Sed fortasse dicet aliquis
auditorum. Haec nobis idcirco dicis. ut te ab officio disputationis
excuses. et in his finias. neque quicquam prorsus uel ex his quibus possi
bile est consolationis exhibeas. neque ut dominum deprecaris praestare gratiam suam.
ad reuelanda ea quae lecta sunt. ut paruum saltim cibum ex occultorum
et secretorum explanatione sumamus. Non ista de causa haec diximus.
nec excusantes nos ista protulimus. sed ut ostenderemus in scripturis sanctis
esse uim quandam quae legentem etiam sine explanatore sufficiat. Nunc
uero quoniam non nobis sufficit tempus ut de omnibus quae lecta sunt disseramus.
pauca saltim ut dominus donauerit perstringamus. Initium distribuendae here
ditatis quam iesus distribuit. incipit a caleph. Data est enim huic caleph
portionis suae sors priusquam tribus sua quae est filiorum iuda perciperet.
et datur ei non in extremis aliquibus partibus sed in medio filiorum iuda
et data est ei portio non per sortem. sed per praeceptum domini. et datur ei ciuitas